

- 1 Schroerer f. G. Frid. / Diff. de theologia  
occulta, Wittenb. 1736
- 2 ——— / Diff. A et O Doctrinae Christiano=  
Evangelicae Speculo Wittenb. 1733.
- 3 Schumann f. Christ. Erdm. / Diff. de lectis  
ternis Romanorum ad illustrandum  
Ips. Com. v. 6. Lipsiae 1734
- 4 Schwarz f. Christ. Gott. / Diff. de ritibus  
quibusdam a Manumissione ad S. Baptis=  
mum translatis. Altdorfi 1738
- 5 Schwartz f. Joh. petri / Diff. sistens explica=  
tionem Iesaja II v. 22. Jenae 1740
- 6 Segnitz f. Joh. Augustini / Diff. sistens  
philipenses tanquam Luminaria in  
Mundo, Lipsiae 1728.
- 7 Seligmann f. Gottl. Frid. / Diff. de theologia  
Apocticon, Lipsiae 1700.
- 8 Sonnenschmidt f. Joh. Justij / Diff. de Atri=  
emissarij ductore, Jenae 1719.
- 9 Sontag f. Christophori / Diff. de trium=  
phantium in Caes. Coelestia Sto. Cutaj  
Altdorfi 1699

QVINQVAGINTA  
**MIGADES**  
**THEOLOGICAE,**

CVM PRIMIS

**ANTI-NEOTERICAÆ,**

*ALTDORFI D. XXIX APRIL. MDCCXVI*

DISQVIVITIONE PVBLICA

IN AVDITORIO THEOLOGORVM VENTILABVNTVR,

*P R A E S I D E*

**CHRISTOPHORO SONN-  
TAGIO,**

SS. THEOL. D. ET P. P. PRIMARIO,

ANTISTITE OPPIDANO ET H. T.

ORDINIS SVI DECANO,

ET

*R E S P O N D E N T E*

**M. IOHANNE CHRISTIANO MEISNERO,**  
SCHLIBENSI SAXONE.

---

LITERIS IOD. GVIL. KOHLESII, ACAD. TYPOGRAPHI.



*PERILLVSTRIS ET EMINENTISSIMI*  
**PROTOSYNEDRII**  
ET  
**CONSILII ECCLE-**  
**SIASTICI**

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI  
**POLONORVM REGIS**  
**ET ELECTORIS SAXONIAE,**  
DOMINIS, DOMINIS

**PRAESIDI**  
ET  
**CONSILIARIIS**

SPECIMEN HOC ACADEMICVM

DAT, DICAT, DEDICAT

*HVMILLIMVS ET OBSEQVIOSSIMVS*  
RESPONDENS.



Atimini, O EMINENTISSIMI AC  
PER-ILLVSTRES MEORVM  
STVDIORVM ATLANTES, ut ad  
VOS, tanquam FVLGIDA COELI  
REGII ET SEPTEMVIRALIS  
SAXONICI SIDERA, humilem isthanc meæ parvitatıs  
myricam subvehere, oculosque attollere submissiores  
queam. Date hoc amori, quo clientes Vestros omnes  
excipitis, paterno, edecumato, orbi noto, ut liceat mihi  
admirari ac suspicere Munificentiam, qua me hactenus  
amplexi fuistis, consummatissimam, Vestrisque Nomi-  
bus Summis chartaceam hanc grati animi offerre tesseram.  
Est illa diatribę, quam intra peregrinę Academię pulpita  
ventilandam duxi, Theologica, Novaturientium quo-  
rundam sinuosis machinationibus obvians: Est exer-  
citatio, veritati divinę asserendę dicata: Est disquisitio  
pirastica, sub moderamine antithesum, bile ac dente ca-  
rentium, apparatus. Tuemini, o SATRAPAE CONSILII  
SANCTIORIS AC REGII AVGVSTIORES, hoc pium  
ac religiosum, quod molior, institutum: Protegite  
exile specimen literarium, o STATORES ET ANTI-  
STITES ORBIS ERVDITI, zephyrosque & favonios  
Indulgentię Vestrę enchiresibus meis aspirate. Sum  
Vester, aviti & paterni erga Vos obsequii æmulus: Con-  
stet itaque Vestra mihi Benignitas. Irradiate, o SOLES  
PATRIAE, o NATHANES ECCLESIAE ORTHO-  
DOXAE, & splendorem Vestri Patrociniĩ desideratissi-

mum mihi ne, obsecro, negate. Polliceor VOBIS hæreditaria Meißnerianæ sinceritatis imitamina, pietatis documenta, constantiæ augmenta. Somnum enim mihi eripiunt, quæ sub nominibus illis, quorum DEVS me participem reddidit, increbescunt, monumenta. Extimulor ergo Vestris, DOMINI GRATIOSISSIMI, benefactis, & aspiro illuc, contendo, & anhelō, ut accedere, quoad ejus fieri potest, ad horum exempla mihi detur: quandoquidem ex Poetæ Sulmonensis effato,

*Et genus, & proavos, & que non fecimus ipsi,  
Vix ea nostra puto.*

Ferte igitur, MITISSIMI HEROICARVM VIRTVTVM ET VNDIQVAQVE PER ORBEM EXSPLENDESCENTES TRISMEGISTI, has observantiæ meæ obsides pagellas, & hanc commendatricem qualiscunque industriæ meæ, in Academia exotica navatæ, nuntiam epistolam ad Vestra pulpita clementer admittite. Servet, sospitet, asserat in serum usque senium vivaces VOS omnes ac singulos Providentissimi Numinis Majestas, & concedat Saxoniam nostræ Electorali sub umbone Vestro halcyonia porro amœnissima! Efficiat VOS Eliakimos, Clavos curarum, in dilecta patria universa pendularum, bajulos longe tenacissimos firmissimosque! Efficiat Danieles in aula non captivatos, neque captivandos, sed libertatis publicæ Umbones longe felicissimos! Efficiat, prosperet coronetque amplius Leo de tribu Iuda, Radix Davidica, AVGVSTISSIMVM POTENTISSIMVMQVE REGEM NOSTRVM, e speluncis leonum ac pardorum hostes patriæ propulsantem, nobisque pacem & incolumitatem perpetuam arcu suo quam potentissime, quamque auspiciatissime reddentem! Ita ergo valete, ALMI PROCERES ET EVERGETAE MEI, atque hoc ausum, quod audeo, clementer interpretamini. Dabam Altdorf I Noricorum d. 29 Aprilis MDCCXVI.

EMINENTISSIMORVM ATQVE PERILLVSTRIVM  
NOMINVM VESTRORVM

*subiectissimus cultor*

M. Johannes Christianus Meißnerus,  
Schlittenfis Saxo.

§. I.



**I**N controversia de re cœlesti Baptismi merentur annotari pauca duntaxat regulæ henoticæ: I) *Talis per omnia res cœlestis non datur in Baptismo, qualis in S. Cœna; datur tamen quomodum, verbis institutionis & propositionibus Baptismalibus, junctim sumptis, convenientem.* II) *Aqua Baptismi non est simpliciter aqua, ex qua Beza nos idolum facere criminatur; verum est lavacrum aqua in Verbo.* III) *Phrasæ & Stylus utriusque Catechismi Lutheri, si a Verbo Dei discesseris, cum illo & post illud venit usurpandus.* Ascisco in partes cumprimis D. Abrahamum Calovium, & Theologum quondam Altdorfinum, D. Christianum Matthiæ, prout in suo uterque Systemate Theologico harmoniam sententiarum voluit offensam; & jubeo addere D. Dietricum Aphorism. & Quæstion. p. 76. nec non D. Glassium in Bedencfen p. 112 & seqq. Confer etiam, si volupe est, meam de Pædobaptismo diatriben, a pag. 8. usque ad 20.

§. II. In articulo de S. Cœna Pontificii asserunt panis *μελίσσιν*, Reformati Corporis & Sanguinis Christi *ἀρτυρίαν* ac *σημασίαν*, Impanistæ *συνεσίαν* & *ἐνυσίαν*, Lutherani realem *παρυσίαν* atq; *κοινωνίαν*. Quæ quidem diffidia non super articulo circumfundamentali, neque præterfundamentali, sed omnino fundamentali agitantur. Et vero si Lutheranus agrotans in defectu Ministri sibi a Laico S. Cœnam porrigi finit, ille scrupulis in agone exquisitioribus potest fieri obnoxius, eo, quod extra ordinem divinum S. Cœnam usurparit, quàm si, manducatione & bibitione spiritali contentus, in via regia perferet, seseque hoc pacto vitam æternam certo consecuturum esse, confidat. Joh. VI, 35 & seqq.

§. III. *In loco de Prædestinatione* Reformati Doctores antiquitus dividi consueverunt in tria præcipue nomina, tresque classes. Sunt enim vel 1) *Supralapsarii*, qui in describendo decreto absoluto supra lapsum ascendunt; vel 2) *Sublapsarii*, qui decretum absolutum defendunt cum respectu ad lapsum Adæ præsuppositum; vel 3) *Hypothetici*, docentes, DEVM omnes homines velle salvare,



& CHRISTVM pro omnibus hominibus esse mortuum, sub hypothesi, si credant. *In Loco autem de Justificatione* Nostri, eam per solam peccatorum remissionem s. non-imputationem negative describentes, facile componi possunt cum iis, qui ipsam etiam positive descriptam volunt per imputationem justitiæ Christi. Siquidem *hi* ad omnes tres causas justificationis simul, nempe gratiam DEI, meritum Christi, & fidem; *illi* vero ad solam gratiam DEI respexisse; *hi* vocem justificationis *συνδρασικώς* ac totaliter; *illi* *μοιραδικώς* ac partialiter accipere, videntur.

§. IV. Concilia fundantur præter alia in aureolo illo, quod habetur Actor. XV, 28. effato: Visum est Spiritui Sancto, & nobis. Judicium autem Ecclesiasticum est vel summum, vel medium, vel tertium. Illud est Ecclesiæ Syntheticae universæ, Doctoribus & Auditoribus constantis; istud Ministerii Ecclesiastici; hoc fidelis ac pii Magistratus, fidelium cæteris doctiorum, & fidelis populi. Joh. Henr. Ursin. Parall. Evangel. p. 240. Martyrum autem sanguis non fuit unitus cum sanguine CHRISTI per unionem meriti, sed per communionem mysticam, nec non per imitationem atque conformitatem exempli.

§. V. Delio natatore haud indiget argumentum Pontificiorum, quod nobis objectant: Vocati a falsa Ecclesia non sunt legitime vocati. A. Lutherus & Lutherani Pastores sunt vocati a falsa Ecclesia (nempe Pontificia, quæ secundum propriam ipsorum doctrinam falsa est) E. Lutherus & Lutherani Pastores non sunt legitime vocati. Responderi enim potest a) *indirecte* per retorsionem. Sic nimirum & ipsi Pontificii Pastores ex propria confessione sunt illegitime vocati; b) *directe*; siquidem quatuor termini sunt in argumento: dum falsa Ecclesia in majore *quidditative*, in minore autem *qualitative* supponit.

§. VI. Polygamiam ante Evangelii promulgationem legi divinæ non fuisse contrariam, perperam autumat Grotius Lib. II. de J. B. & P. c. V. §. 9. Num vero polygamia sit per se turpis abstracto divino interdicto (quod statuere nonnulli amant) aut, num vaga seminum commixtio statui naturali ac primævæ integritati conveniat,



niat, in conflictu, si volupe erit Dnn. Oppositoris, operosius excutiemus. Cæterum controversiam, super hoc argumento recentius exortam, probe excusserunt Dantiscani Theologi, Dn. D. Weickmannus in Justitia causæ, & B. D. Schelguigius Commentatione adv. Themistium.

§. VII. Audias quosdam ex Arnoldistis aliisque Libertinis, ita ratiocinantes: *Tres, in Imperio Romano receptæ, religiones Christianæ omnes quidem ad Scripturam S. provocant; sed hanc per suum quæque verbum & spiritum internum interpretantur, & in suam quæque partem attrahunt.* Jam pridem autem huic occurrerunt adversariæ, nobis scriptæ, ac dubio levidensi, Accuratores, dicendo, provocationem heterodoxarum religionum ad Scripturam neque *ειλικενώς*, neque *σωετώς*, neque *ἀπαθώς* fieri, sed perinde sese habere, ac provocationem malorum Advocatorum ad leges & jura. Præterea nihil, nisi falsa imputatio est, quod scholæ nostræ Scripturam per verbum spiritumve suum internum explicent; cum tamen a tali verbo interno, quale est spiritus fanaticus, sint alienissimæ. O quam inconditum denique est, puriorem Ecclesiam seclis nihilo meliorem a filiis quibusdam suis poni?

§. VIII. Non absimili licentia Rosenbachiani annorum superiorum religiones cum putaminibus, cum inanibus patellis; cum cortice, ubi non sit nucleus Christianismi, sine discrimine comparabant. Utut enim causarentur, sese de religionum abusu & mera jactantia, pietatis experte, loqui; tamen, cum dogmata Verbo Dei adversa sererent, cum externum cultum externamque confessionem ad Christianismi veritatem minus attinere statuerent, cumque omnium religionum indifferentiam plenis introducerent velis, eo nomine cordatioribus merito sordebat, simplicioribusque offenculo erat insubida hæc religionum æquiparatio, e Schwenkfeldii, Weigeli, Simonis Episcopi, Cartesi & Machiavelli scriiniis mutuata.

§. IX. Falsò. Aliud nimirum evincunt tot labores, pericula, martyria, quæ Ecclesia Dei ob rem religionis nunquam non exantlavit, eo ipso testata, quantum momenti in tutela & assertatione puri cultus externi ac dogmatici situm esset. Ecceur insuper  
DEUS

DEUS tam graviter irascetur populo suo Israelitico, si in negotio religionis doctrinaeque publicæ id modo faceret, quod suis placeret ac rectum videretur oculis? Devt. XII, 32. IV, 2. coll. cum Prov. XXX, 6. Ecce ipsomet canonem Biblicum, hac tam gravi interminatione usus, conclusisset Apoc. XXII, 18, 19? Ecce in frigiditatem ac teporem in causa religionis tam severe animadvertisset Apoc. III, 15, 16. I. Reg. XVIII, 21? Ecce vetuisset, ne sequeremur doctrinas, quæ sunt mandata hominum Matth. XV, 9. si res fidei ac religionis inanium patellarum instar, aut cortex sine nucleo foret?

§. X. Audias porro nobis obstrepentes: *Vos ipsimet dissidia inter vos alitis, & Scripturam s. pro suo quisque spiritu & verbo interno interpretamini, controversiis dogmaticis quotannis inter vos recrudescentibus. Quæ eadem apud Pontificios & Reformatos peraguntur.* Sed enim ex nostra parte jam pridem regestum est (nam de Adversariis ecquid dicere attinet?) diram esse callumniam, si quis exprobraverit nobis, quod in ipso fidei fundamento dissentiamus. Circumfundamentalia sunt (ut verbis B. Kromayeri utar) & præterfundamentalia ea omnia doctrinae capita, in quibus diversitas sententiarum apud nos percrebescit. Confer ea, quæ tradit Dn. D. Förtschius *disp. de Prudentia justor. part. 3. §. 3.* Nimirum harmonia fidei nostræ perstat in substantialibus; cæterum controversiæ intestinae in circumstantialibus, aut quaestionibus juxta fidem enatis, exortæ consistunt. Proin minus convenienter a dissidio qua modum loquendi ad dissidium qua summam rei infertur & concluditur. Cæterum unica norma & regula, eademque ultimata & principalis, tum fidei, tum loquendi de rebus fidei, apud nos manet Verbum revelatum, idque externum, minime gentium autem internum, externo oppositum, quod est spiritus fanaticus.

§. XI. Audias pergentes: *In Secta Lutherana multi dantur abusus, multi defectus, multæ superstitiones, fatentibus ipsismet Lutheranis, a quibus eandem purgari tam necessarium est, quam necessaria fuit Lutheri Reformatio. Quamobrem animis prudentioribus, a studio partium immunibus, nomen Lutheranorum merito sordet.* An ergo Schola Christi visibilis non habebat defectus

fectus Apostolorum complures? Anne non Judam? Anne non fa-  
 as habuere corruptelas Ecclesiae Apostolicae? Quod ad nomen Lu-  
 theranorum discretivum attinet, etiam huc improprio Megalan-  
 der suo jam tempore nervos incidit *Tom. II. Fen. German. p. 92*  
*93.* ubi cum abusum illius nominis diacritici taxasset, sequentia hoc  
 verborum tenore subdit: *Aber wenn du es dafür hältst / daß*  
*des Luthers Lehre Evangelisch und des Pappis un- Evangelisch*  
*sey / so mustu Luther nicht so gar hinwerffen / du wirffest sonst*  
*seine Lehre auch mit hin / die du doch für Christi Lehre erken-*  
*nest. Denn du siehest / daß die Tyrannen nicht damit umbge-*  
*hen; sondern die Lehre wollen sie vertilgen / und von der Leh-*  
*re wegen tasten sie dich an / und fragen dich / ob du Lutherisch*  
*seyest. Hier mustu warlich nicht mit Rehrworten reden / son-*  
*dern frey Christum bekennen / es habe ihn Luther / Claus oder*  
*Hans geprediget. Die Person laß fahren / aber die Lehre mustu*  
*bekennen. Also schreibet auch S. Paulus an Timotheum im*  
*2. Tim. I. Scháme dich nicht der Zeugnis unseres Herrn /*  
*noch meiner / der ich umb seinet willen gebunden bin. Wenn*  
*hier Timotheo gnug gewesen were / daß er das Evangelium bez-*  
*ekennete / hätte ihm Paulus nicht gebothen / das er sich sein auch*  
*nicht schámen solte / nicht als der Person Pauli / sondern als der*  
*umb des Evangelii willen gebunden war. Wo nun Timothe-*  
*us hätte gesagt / ich halts nicht mit Paulo, noch mit Petro,*  
*sondern mit Christo / und wuste doch / daß Petrus und*  
*Paulus Christum lehren / hätte er doch Christum selbst*  
*damit verleügnet. Denn Christus spricht Matth. X. von de-*  
*nen / die ihn predigen: Wer euch aufnimmet / der nimmet mich*  
*auf; wer euch verachtet / der verachtet mich; warum das? Da-*  
*rum / daß seine Boten / die sein Wort bringen / also halten.*  
*Darumb ist gleich / als er selb und sein Wort gehalten würden.*  
*Hæc ille.*

S. XII. Arrigant aures, Parei sequaces, nostri Neoterici;  
 & adhibita in judicium ratione, discant, quantum inter se discrepent  
 hæc duo, a nomine Lutheri ut Magistri, & ab eodem ut mi-  
 nistri,

nistri, denominationem obtinere, aut etiam ambire. Fastidire profecto illam, legitime ac dextre usurpatam, vagæ mentis, & seriam in religionis causa fluctuantis ingenii, signum est. Cæterum per lutum neutiquam expurgatur lutum, nec per falsa dogmata defectus cœtuum Lutheranorum tolluntur. Præterea nec a quorundam, imo ne a multorum quidem moribus depravatis ad universalem Ecclesiæ Lutheranae corruptionem ac panoethriam debebat prolapsio admitti, aut teter institui paralogismus. Imo nullus pene temporum nostrorum defectus inuenitur, quin scripta Lutheri jamdum serio taxarint, & taxent etiamnum. Ecquid igitur ultra Lutheri jam sufficientur factam Reformationem nouo demum opus est Reformatismo?

§. XIII. *Instant: Ecquis, malum, vitio vertat rōis Oditæ rōis, si diligentius examen horum ipsorum Lutherana Ecclesiæ rōis ἐκείνων atque defectuum incant, scoriasve ab auro sequerent; id quod commodius, quam per hanc sobriam Neutralitatem & Adiaphoriam religionum, seu maius, per eam, quam amplectuntur publiceque profitentur, religionem ecclēticam aut religionem Adiaphoristicam, aut religionem Prudentum Christianam fieri nequit.* Reponere quippe denuo iuvat, defectus illos Ecclesiæ Lutheranae ac diuidias, quæ in ea inveniuntur, minime omnium in fundamentalibus, ceu §. 10. jam innuebamus, inueniri, verum duntaxat in circumfundamentalibus ac præterfundamentalibus; nec ad ipsius disciplinæ Ecclesiasticæ constitutionem, verum ad ejusdem transgressionem, ab indignis hujus Ecclesiæ membris patratam, attinere. Non igitur Ecclesia ipsa Lutherana indiget reformatione, sed mali homines, qui in ea visibiliter degunt. Nimirum ceu Paulus ob defectus Ecclesiæ Corinthiæ, utut insigniores, non jubet apostasiam ab ea facere: ita nec Neutralistæ propter hæc, quæ prætexunt, ἐκείνῃσιν satis causæ habebant, quod ab Ecclesiæ Lutherana se se vellent segregatos. Quinimo falsa turgent hypothesis Dissidentēs, quasi Ecclesia visibilis inueniri possit sine defectibus, cum Salvator tamen zizania in agro mansura dicat usque ad messem, hoc est, sæculi consummationem.

§. XIV.

§. XIV. Tandem etiam defectus, Ecclesiae Lutheranae adhaerentes, sine correctione Verbi divini, atque adeo sine ipsiusmet Ecclesiae Lutheranae, & Ordinationum Ecclesiasticarum, ab eadem receptorum & consensu communi introductarum, censura, nequiquam relinquuntur, perinde, ac naevi Corinthiorum a Paulo severius notabantur. Obviant enim hisce anomalis, ceu notorium est, continua Verbi praedicatio, & publica Constitutionum nostrarum Ecclesiasticarum exercitatio. Quae si a multis negliguntur, non tamen ab omnibus; & si quid contra factum innotescit, praevio mandato Dei improbatur. Nec igitur ipsamet Ecclesia aut religio Lutherana propter istos defectus erat deserenda, nedum Ecclētica quaedam, eademque; Anti-biblica, religio frivole amplectenda, profitenda aut tuenda. Nihil enim haec minus, quam Prudentum religio, quam Christiana religio est, utpote quam Filius Dei ex ore suo vult evomere, cum neque calida sit, neque frigida. Neque enim hoc prudentiae Christianae est, quovis doctrinae vento agitari; sed infantilis potius ignorantiae nomine ab Apostolo insignitur Eph. IV, 14. E contrario hoc demum est prudentiae Christianae genuinum ac proprium officium, si quis dextre cavere Pseudopphetas, & non cuivis spiritui sese committere noverit, Eph. IV, 17, V, 15. 1. Joh. IV, 1. Matth. VII, 15.

§. XV. Ita vero (ajunt) *Neutralista cum Naturalistis confunduntur, si id pertendas, etiam gentiles per eorundem Neutralistarum hypothēsin in sua religione salvari posse, cum tamen hi ipsi Scripturam Sacram pro fundamento salutis agnoscant, Naturalistae autem & gentiles minime.* Quasi vero Neutralismus ac Naturalismus, utcunque formaliter differentes, haud possint coincidere & una in sede morari, imo nec saepe coinciderint, subjective. Instar omnium inspectetur hac nostra aetate Poirētus, qui & Neutralistam juxta, & Naturalistam tam perditae agit, ut vel Socratem martyrem appellet, eundemque Christo ad latus jungere nihil addubitet. Mirum igitur est, Neuteralistam vocari male, quam Lutheranam. Mirum insuper, in partes advocare Paulinum apophthegma: Omnia probate; quod bonum est, tenete.

Ita mihi optata contingant, si hæc religio Prudentum est, in partem utramque claudicare, etiam fuerunt prudentes illi ex Israelitis, qui partim Deum verum, partim etiam Baalem coluerunt. Nimirum accedente, imò ingravescente, tot dogmatum falforum approbatione, verorumque ac salvificorum improbatione, id, quod bonum est, non retinetur, verum abjicitur, fastiditur ac repudiatur.

§. XVI. Nondum cessant Arnoldistæ nobis cum Episcopo Arminianisque aliis, & cum Naturalistis obstrepere: *Ratio nullatenus exesse debet e rebus fidei; quandoquidem Deus ipse mandat, ut ad credendorum dijudicationem ratio simul adhibeatur Matth. XIII, 23. XV, 10. XVI, 9. Marc. VII, 14. VIII, 17. Rom. I, 10. XII, 1.* O misellas vero detorsiones eorum, qui prudentioris Neutralismi titulum sibi arrogant, & a Naturalismo alienos sese jactitantes, Naturalismum tamen defensum eunt! Etenim Matth. XIII, 23. XV, 10. & Marc. VII, 14. VIII, 17. haudquaquam est sermo de intelligentia naturali, verum supernaturali, non rationis, utpote sub obsequium fidei captivandæ, verum revelationis ac fidei, ex decente auditu illius Verbi, quod semen incorruptibile & æternum est, ortæ. Neque capite XVI, 9. Matthæi, τὸ νοεῖν ἐν μνημονεύειν ex principio naturæ, sed ex miraculo, hoc est, opere naturæ vires exuperante, fuerat deducendum. Neque λατρεία λογική Rom. XII, 1. connotat λόγον quendam Physicum, (id quod supponunt Naturalistæ) neque tam λόγον internum, quam externum, nempe juxta Syrum Interpretem *ܐܘܪܘܟܐ ܕܡܝܢܝܫܬܐ* ministerium verbi s. verbale, h. e. confessionale, puta sacrificium laborum, ceu vel ipse Fr. Junius, qui adversæ parti in delitiis est, observat. Cæterum locus Rom. I, 10. nihil ad rem. Quin obmutescat ratio in negotiis, ad bona æterna & salutem animæ attinentibus, quæ caro & sanguis minime revelant.

§. XVII. Oggerunt, *Indifferentistis vitio haud vertendum, quod ad LL. Symbolicos Lutheranorum sese astringi nolint, eo, quod a) ne ipsi quidem Lutherani hosce junctim omnes amplexi sint, (β) libri isti nihil, nisi angariam conscientiarum invexerint, qua contra doctrinam propriam ipso facto in aliorum conscientiarum*

*scientias dominium sibi sumpserint Lutherani.* Etsi enim *α)* cœtus Lutherani non singuli singulos, tamen universi omnes, amplexi sunt LL. Symbolicos, doctrinamque iis contentam etiam singuli approbarunt. *β)* Ecclesiastica Sanctiones & Ordinationes non sunt coactiones, sed bonæ potius institutiones conscientiarum, quas, qui se libere cœtui Lutherano addixit, etiam libere observat; quandoquidem ratio assentiendi ultima his non sunt ipsæ Sanctiones & Ordinationes, neque ipsimet LL. Symbolici, ab Ordinationibus probati; verum potius autoritas divinæ revelationis, Scripturæque Propheti- cæ & Apostolicæ, cum qua exacte consentiunt. Quanto minus hæc conscientias cogit; tanto minus easdem cogunt Libri Symbo- lici. Quanto minus hæc dominatur conscientiis; tanto minus illi. Quin libertas vera, & *εὐνομία καὶ εὐταξία* vera, perperam inter se opponuntur. Si quis ergo Christiano Magistratui, & sub ejus persona Ecclesiæ illi, sub qua & in qua degit, Verbo Dei conveni- enter & libere aliquid promittere potest (potest autem) ille idem nihilofecius, quod libere promisit, jurato potest adstruere. Absol- num insuper foret, nonnullis hominibus, quibus officia sacratoria committuntur, relaxare obligationem ad LL. Symbolicos, totam postea Ecclesiam tanto licentiosius turbaturis, utpote cujus inte- stini hostes omnium infensissimi, versipelles, & maxime noxii esse consueverunt. Siquidem finis hujus obligationis juratoria est non do- minium in conscientias, sed potius necessaria cautio, quam jurans Ecclesiæ suæ de futura & arcte tenenda fidei suæ orthodoxæ pro- fessione præstat. Unicus autem Indifferentista Ecclesiæ orthodoxæ tantum damni inferre potest, quantum damni per dimidium quidem seculum a pluribus sopiri aut firciri queat.

§. XVIII. Ruminant hi degeneres Lutheri discipuli ve- tus Erasmi Roterodami, Mosis Amyraldi, Francisci Puccii & alio- rum verbum: *In sua quisque religione salvari potest, Deo perso- nam haud respiciente, verum eos omnes, quotquot religiose vivunt & recta faciunt, cum gratiosa quadam complacentia acceptante. Sufficit proinde, ad impetrandam aeternam salutem, ac deportandum sælestre brabeum, dummodo voluntas bona sit, & vita pie vivatur,*

*zur, quomodocunque intellectus sese habeat, & qualiscunque de-  
 mum religio pro vera agnoscat. Ohe ! Una duntaxat fides ex  
 voce Paulina est Eph. IV, 5. nec religio tantum in charitate, sed & fi-  
 de consistit; & vera quidem religio etiam vera Deum colendi ratio, &  
 vera juxta ad eum colendum obligatio est. Affatus Petrinus ad do-  
 mum Cornelii non de inconversis, sed conversis, Deum timentibus,  
 & ad Ecclesie gremium cum Cornelio Profelyto jamdum perti-  
 nentibus, debebat explicari. Neque enim timor Dei servilis sine  
 fide, qualis etiam in irrogenitis deprehenditur, sed filialis, ex vera  
 fide profectus; neque complacentia generalis, sed specialis, quae  
 super operibus vere bonis & ex fide profectis unice oritur, intelli-  
 genda. Quodsi conversio voluntati, excluso intellectu, tribuen-  
 da; tum vero nec fides ex auditu, sed ex fide auditus est; neque  
 oculi aperiuntur hominibus, ut convertantur; sed convertuntur  
 prius, quam oculi ipsorum aperiuntur, irrenati: Id quod Apostoli-  
 co ordini denuo contrariatur, Act. XXVI, 18. Rom. X, 17. &  
 fasiorum verborum formae officit.*

§. XIX. *Addunt Neoterici isti, apud quos antiqua fides & pri-  
 sca integritas Lutheri evilit: Nec tamen adeo insulsi aut inspidi sunt  
 cordatiores Rationalistae, ut rejiciant Scripturam; sed eam pro fun-  
 damento salutis habent. Dura igitur calumnia est, iisdem hoc  
 tribuere, quod, rejecta Scriptura divina, ad spiritum & verbum  
 internum omnia revocent. Regero, satis esse, quod Poirettus &  
 Bourignonistae id facitent. His utiq; Scriptura est obtentui. Ex eorun-  
 dem praxi, & rationis & interni spiritus dictamina Scripturam æqui-  
 parant. At enim merito exclamare liceat: O calvam denuo protesta-  
 tionem, facto adversantem! Quasi vero non omnes haeretici & schisma-  
 tici eatenus paria facerent, & eo ipso, dum Scripturam maxime  
 fugillant, ad Scripturam provocarent. Enimvero Scriptura ista, quae  
 rationem in rebus fidei simul consuli debere dicitur, est non-  
 Scriptura, est falsa & spuria Scriptura, perinde, ac legis transgressio  
 quidvis potius aliud, quam legis observatio est. Veram quippe Scri-  
 pturam caro & sanguis plane non revelat, sed unus omnium Pater  
 coelestis. Veram Scripturam sequi, non est rationem consulere,  
 aut*



aut usum quandam principalem eidem tribuere in cognoscendis mysteriis, sed eandem captivare. Neque enim animalis homo percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI: quin hæc ipsi stultitia sunt, & non potest ea intelligere. Eoqui ergo triticum & palea concordant Jer. XXIII, 28? Quin ignis comburit paleas. Uti quippe vana somnia; ita & omnia rationis corruptæ dictamina sunt paleæ, sunt igni sacrarum Scripturarum *καυδωσάτω*. *Ὅθεν γὰρ δὴ ἀνθρώποι* animales homines percipere ea, quæ sunt Spiritus DEI. Proin Pelagianismi, aut certe Semipelagianismi paxillo suspendi meretur collateralis ista synergia rationis cum Scriptura in rebus fidei. Velut enim sanguinolentum Christi meritum, si quidem in actu iustificandi & salvandi nostris bonis operibus jungatur, est falsum & spurium meritum, Salvatorem hanc redemptionis gloriam alii, quam sibi, in æternum haud cessuro: Ita & Verbum, cum ratione æque, ac cum spiritu immediate afflante, & falsa dogmata inspirante, conjunctum, non est genuinum, sed falsum & spurium verbum. Decoratur purpuram regiam, qui lacerum ei panniculum affluit. Et faciunt omnino huc, quæ Magister noster optimus, ipse DEI Filius ac Salvator noster JESUS CHRISTUS inculcat: *Nemo, inquam, abscindit assumptum ex vestimento novo, & immittit in vestimentum vetus, ne novum scindat, & vetus non impleat assumptum, quod est ex novo. Et nemo immittit vinum novum in utres veteres: Sin minus; rumpit vinum novum utres; vinum effunditur, & utres pereunt Luc. V, 36, 37.*

S. XX. Eodem omnino recidunt, quæ objectant Synergistæ isti, quibus non modo ante conversionem intellectus & voluntas hominis non vocantur subjectum convertendum, sed & post conversionem collaterale in rebus fidei principium sunt, dum inficiantur, Pseudo-Christum sese profiteri. *Sicut enim, inquit, Scripturam Sacram nullo modo rejicimus, sed illam potius solam pro ejusmodi libro agnoscimus, ex quo ope DEI & sanæ rationis retam ad salutem viam discimus: Ita & JESUM CHRISTUM solum unicum & universalem Mediatorem inter DEUM & homines esse, profitemur.* Responso est in aprico, vocem *ψευδοχριστός* esse

esse Biblicam Matth. XXIV, 24. Excitabuntur multi Pseudo-Christi & Pseudoprophetae, mentituri nempe CHRISTUM, simulaturi Christum, multosque seducturi. Uti vero, si olla, carnibus optimis plena, ad ignem apponatur, sicubi vel unicum araneum inieceris, mors in illa est, omnesque adeo carnes, veneno infectae, corrumpuntur: Ita, si vel plurima Christiana dogmata Indifferentistae sparserint; nihil tamen sani iisdem inest, si vel unicum tale *αἰσῶτος* *Ἰεῦδ* his indiderint: QVICQVID NULLA RELIGIO DICIT, ILLUD EST VERUM; aut istud: QVICQVID ORTHODOXA ETIAM RELIGIO DICIT, ID NON SEMPER EST VERUM; aut etiam istud: QVICQVID OMNES RELIGIONES PRÆJUDICIO RATIONIS NOSTRÆ CONVENIENTER DICUNT, ILLUD EST SEQVENDUM. Hoc autem quid est, nisi variis circumagitari dogmatibus, & Vertumni instar fluctuare? Ubi, num hi dolo malo id facitent, & vel sui evehendi, vel aliis nocendi gratia perversam circumferant doctrinam, sua cuique conscientia in paroxysmo ferali erit testis.

§. XXI. Neque sufficit causari: *Scripturam nullo modo rejicimus; sed illam potius solam pro ejusmodi libro agnoscimus, ex quo ope DEI & sanæ rationis rectam ad salutem viam discamus.* Si quis enim corruptam suam rationem autumat esse rectam, sanam & incorruptam; si quis præterea rectam ad salutem viam non DEI folius & unius in solidum, sed & lascivientis atque corruptæ suæ rationis ope discere allaborat, eo ipso Scripturam rejicit, quæ negat, aliam dari viam ad Patrem, quam CHRISTUM; quæq; affirmat, hanc esse demum vitam æternam, ut cognoscamus Patrem, & quem ille misit, JESUM CHRISTUM. Hanc beatitudinem Petro non caro & sanguis, non humana ratio, post lapsum considerata, sed Pater cœlestis revelavit. Quantum itaque tribuitur rationi & viribus naturæ, tantundem detrahitur auxiliis gratiæ divinæ. Quod erat demonstrandum.

§. XXII. Neque tanti pendendus est fucus, quo incrustant errores suos, excipiendo: *Nos, JESUM CHRISTUM solum, unicum & universalem Mediatorem inter DEUM & homines esse,*  
pro-

*profitemur. E. Nos verum atque genuinum habemus CHRISTUM; non Pseudo-Christum.* Etenim vel Galatæ recens conyerſi eo, quod Pſeudo-Apoſtolorum dogmata ſequerentur, CHRISTUM verum amiſerant. Penes horum aliquos CHRISTUS reputabatur peccati mi- niſter; qui certe non verus, ſed falſus & ſpurius erat CHRISTUS, utut ipſi profiterentur, JESUM CHRISTUM eſſe unicum Mediatorem inter DEUM & homines. Similiter apud Ephēſios luxurioſi homi- nes non verum, ſed ſpurium CHRISTUM didicerant, utut eundem Mediatorem inter DEUM & homines forniſecus denominarent. Quidnam, obſcero, de Socinianis dicam? Etiam hi non negant, CHRISTUM eſſe Mediatorem; & tamen habent Pſeudo-Chriſtum, utpote qui non eſt verus DEUS, ſed nudus homo. Nihilofecius CHRISTUS, ſub una ſpecie in S. Coena apud Pontificios præſens, qua talis, non verus, ſed falſus & ſpurius eſt CHRISTUS; quan- tumvis ne hi quidem inſcientur, illum eſſe Mediatorem inter DEUM & homines. Uti nempe Judæi, tametiſi fateantur, *Deum Patrem* eſſe DEUM, Creatorem cœli & terræ, qui eduxerit Iſraelitas ex Ægypto, non tamen idcirco verum agnoſcunt, credunt atque con- ſitentur, ſed falſum & ſpurium DEUM PATREM, utpote qui ab æterno non genuerit filium ſibi conſubſtantialem: Uti Tertullianus & Montaniſtæ falſum & ſpurium crediderunt Spiritum Sanctum, dum huncipſummet Montanum, quem Paracletum nominarunt, eſſe cre- diderunt: Ita nec illi, qui, JESUM CHRISTUM eſſe Mediatorem ut- cunque dicunt, nec tamen unice per ſolum ejus meritum ſangui- nolentum, verum etiam per vires naturæ ſanæque rationis uſum, rectam ad ſalutem viam diſcere volunt, adeoque aliud nomen ſub cœlo quaerunt, in quo nos oporteat ſalvari, quam nomen CHRI- STI ſolius, idcirco non genuinum aut verum, ſed falſum atque ſpurium ſequuntur CHRISTUM.

§. XXIII. Quinimo & hæ verborum argutiæ pro incru- ſtando ac palliando Neutraliſmo texuntur: *Utut per Receſſum Im- perii & Instrumentum pacis Weſtphalica a Statibus Imperii nulla præter tres religiones notiſſimas, tolerari ac ſuſcipi debeat; tamen etiam Judaorum tolerantia paſſim obtinet; quin, experientia te- ſte,*

*ste, iidem Imperii Status in terris suis varios Schismaticos & Hæreticos habitare secundum equitatem naturalem permittunt. Tolerare quippe hæreticum est adhuc minus officio humanitatis. Ergo qui tolerantiam denegat, revera inhumanus, arrogans & crudelis est; in eodemque non potest habitare spiritus mansuetudinis. Atque adeo regiones ille sunt omnium florentissima felicissimaque, in quibus nemo certa cuidam religioni sese addicit. Varia in hoc discursu latent præjudicia, quibus subrutis ac sublatis, ipse quoque fatiscit. Vanum ante omnia est inane τὸ πρὸ ἐπιμα ἢ μέγα λίαν ἀτήναι,*

I) quod a tolerantia quacunq̄ue hæreticorum, & ea quidem politica, ad conniventiam parabiblicam & antibiblicam, quodque a facto quocunq̄ue ad jus, saltum facere liceat: II) quod ab officiis humanitatis ad officia Christianæ societatis, & quidam talia, qualia fociis ac domesticis fidei debentur, argumentari deceat: III) quod tolerantia Judæorum, passim recepta, sit approbatio, aut certe non-improbatio doctrinæ Judæorum: IV) quod illi, qui certis conditionibus possunt esse boni viri, statim sint boni cives & membra propria ac legitima societatis Ecclesiasticæ: V) quod perinde sit, Neutralitas & Hæreticos, ubi inde usque a longo tempore commorati fuerunt, tolerare; & ibi, ubi nunquam ante fuerant, eosdem intra amplexus Ecclesiæ improvide recipere; quodque justa animadversio Magistratus orthodoxi, tollentis scandala doctrinalia & moralia, sit statim coactio conscientiarum & violatio pacis religiosæ: VI) quod felicitas externa & civilis sit nota veræ Ecclesiæ: VII) quod etiam Paulus Apostolus revera inhumanus, superbus & crudelis fuerit, quando voluit abscindi pertinaces & obstinatos hæreticos, turbatores Galatarum: VIII) quod idem Apostolus spiritu mansuetudinis caruerit, quando iussit observari canes, h. e. pertinaces hæreticos, seductores atque hostes crucis Christi; & quando e contrario præcepit, ut Timotheus tueretur formam sanorum verborum, ac Titus novitates in loquendo suspectas, exercitu quasi circumducto, impugnet: IX) quod instauratio imaginis divinæ, ad quam primus homo conditus est, non in sincero DEI cultu, neque in fide & charitate, verum in officiis humanitatis ac civilitate morum consistat, quodque

que vera charitas secundum legem CHRISTI etiam læsa veritate exerceri possit: X) quod hæc sit vita æterna, ut duntaxat felicem Rempubliam temporalem habeamus, etsi nulla vera Patris aut Christi cognitio sociis istius Reipublicæ adsit, quodque vitam tranquillam & vere pacatam ducere queamus, tametsi quovis doctrinæ vento circumferamur, & ad Lucernam Propheticam atque Apostolicam vage, præpostere, & tanquam ad lucem meridianam cœcutiendo, attendamus.

§. XXIV. Ut adeo totius Christianismi naturam sopiat ac subvertat præpostera ista persuasio, quod quivis in quavis religione salvari possit, dummodo secundum prudentiam sanæ, quam sibi fingit, rationis Scripturam sequatur, & secundum hujus ductum refecet amputetve in quavis religione falsa, mala aut noxia sibi visa, nimirum ultima credendorum analysi ad suum cujusque præjudicium & arbitrium redeunte. Sic autem nihilosciscus Pharisei & Sadducæi, ad Scripturam V. T. quidem provocantes, eam vero juxta canonem suum internum, hoc est, perversas suas hypotheses, quas illi pro optimis quibusque venditabant, torquentes, religionem prudentum vere talem essent professi. Similiter Arriani religionem prudentum genuinam propugnassent, dicendo saltem, Scripturam Propheticam & Apostolicam esse principium, esse fundamentum, esse normam fidei suæ, & nuda tamen Scripturæ verba, in chartis consignata, sine vero ac legitimo sensu, intelligendo. Ne quid addam de præconcepta ista opinione, quod diversitas cultus externi juxta Syncretistas ad essentiam Christianismi, in interioribus atque spiritualibus consistentem, minus attineat, neque ullus cultus externus a DEI mandato, verum omnis a nuda hominum dispositione pendeat. Hinc ortum traxit lascivum istud simile, religionem in homine Christiano esse nihil, nisi schema & vestitum externum, qui mutari, quique jam niger, jam rubicundus, jam albus, jam cæsius esse possit, salvo manente & immutato hominis animo. Hinc rhetoricabatur aliquando nonnemo, Christum in die pantocritico non quaesitum, num quis Pauli, num Petri, num Lutheri, num Calvini, num Pontificis Romani religionem fuerit amplexus, sed sine

discrimine personarum judicaturum esse. Quasi vero in extremo die mundus non judicandus foret juxta Evangelium Pauli, non quidem illius, tanquam Magistri, ministri tamen (de Calvino & Papa vero hic dicere nihil attinet) & quasi *ωδύνη* ad extremum non gignat *ἀριστίαν*, coram tribunali Filii DEI omnino quam maxime judicandam atque pudefaciendam. Proh dolor! Hæc est fundi nostri calamitas, quod docti & magni homines, in deliciis viventes, & focco incedentes suo, principia, elementa, rudimenta & fundamenta fidei religionisq; sincerioris haud satis combiberint a teneris, & tamen ea sese firmius aliis callere existiment, rectiusq; aliis sua se exprimere vita credant. In horum animis æquipondium diversarum religionum prædominans facile tandem ex instinctu Satanæ, & ex desertionis divinæ judicio, retrum apostasiæ a Lutheranismò præcipitium, idque vel apertum, vel etiam opertum, operatur.

§. XXV. Confundi non debent *actus fidei essentielles* (notia, assensus, & fiducia) quos DEUS SPIRITVS SANCTUS intellectum illuminando & voluntatem suaviter movendo in nobis operatur, & quibus apprehensum CHRISTI meritum, in quo unice acquiescimus, nos justificat, cum *actibus fidei syndromis*, quorum utique plures dantur in salutari conversionis negotio, ejusdemque operosiore exercitio, oeconomia & acoluthia. Tales sano sensu appellitari queunt resignatio sui in gratiam DEI, anhelatio luctativa cum carne & sanguine, desiderium sive fames & sitis justitiæ Christi, spiritualis sensus & perceptio virtutis Christi contra peccata, sensus experientiæ indies auctioris in fide, unio sanctificans, qua sumus in Christo, & Christus est in nobis Rom. VIII, 1. Joh. XV, 4. Est, quod porro huc referantur (neque enim arduum conversionis certamen in momento, sed conando, petendo, quaerendo, pullando, non sine magna subinde infirmitate, nec sine reiterata tamen confortatione divina, auxiliis gratiæ perficitur) perceptio ac sensus virtutis operosæ, qua fides, alimenta ex auditu Verbi & usu Sacramentorum frequentiore accipiens, per charitatem est efficax, non us confidentiæ de jamdum accepta remissione peccatorum ac de precibus exauditis, deque potestate sine omni trepidatione ad-

cundi

eundi DEUM Eph. III, 12. & standi in illa gratia, tentatio fidelium, num sint in sic 2. Cor. XIII, 5, sensusque hujus agonis penitior, & propositum resistendi atque pugnandi contra omnem infidelitatem.

§. XXVI. Qui quidem & alii actus ipsammet fidem in praxi Christiana vel comitantur, vel sequuntur. Suntque adeo actus eliciti, ad justificationis non actum, sed statum attinentes, quibus homo jam credens perceptionem & sensum justificationis per repetitos fidei actus solícite quaritat, & ope Spiritus Sancti placide acquirit. Lutherus Præfat. in Epist. ad Rom. Glaube ist ein Göttlich Werk in uns / das wandelt und ver- gebieth aus Gott Joh. I, 13. und tödtet den alten Adam / machet uns ganz andere Menschen von Herzen / Muth / Sinn / und allen Kräfte- ten / und bringet den H. Geist mit sich. Des ist ein lebendig / schäftig / thätig / mächtig Ding umb den Glauben / daß un- möglich ist / daß er nicht ohne Unterlaß solte Gutes wirken. Er fraget auch nicht / ob gute Werke zu thun sind / sondern / che man fraget / hat er sie gethan / und ist immer im Thun.

§. XXVII. Christianismum nostrum practicum (quem divi Apostoli, Paulus & Johannes, ut exprimerent, magnas delicias in vocibus ἀληθῆναι & ἀληθῆνα fecere) non esse otium, sed perpetuum in Ecclesia militante negotium, continuumque pœnitentiæ ac renovationis exercitium, alibi jamdum frequenter evicimus. Etenim hic indies excolatur, oportet, studium bonæ conscientię: excolatur firma proæresis mortificandi veterem Adamum una cum omnibus suis pravis concupiscentiis: excolatur lucta spiritus adversus carnem; quod si fiat, nova indies victoria militem CHRISTI coronabit. Exerceatur porro ac renovetur promptitudo studiumque corrigendi inveteratum cacoethes, & consuetudinem peccandi occalescentem: renovetur odium peccati futuri non modo, quatenus gehennam accendit, sed & quatenus abominabile est DEO, eumque ad iram provocat: renovetur promptitudo restituendi ablata, & compensandi injurias, alteri illatas, ubi summa est cautio, ne ferrum venenatum in vulnere coeunte relinquatur: renovetur deniq; constantia in bono, quæ in usu & exercitio perseverante virium

spiritualium consistit; quod si fiat, exterior homo abolitus, interior autem de die in diem innovatus accrescet, pleniorque, auctior, fortior, perfectior & consummatiores evadet.

§. XXVIII. Sicut illi, qui Hobbesiana principia sequuntur, pœnitentiam nuncupant nihil aliud, quam dolorem anxium & mœrorem, cum serâ vitæ emendatione conjunctum, adeoque fidei, ceu partis ejusdem constitutivæ, in ea describenda nullam omnino rationem habent: Ita quoque Amyraldistæ talem nobis pœnitentiam commendant, qualem agere quis possit, sive sit maneatque Ethnicus, sive Judæus, sive Muhammedanus, sive Christianus; cum tamen ea sine fide DEO placere nequeat; nec emendatio vitæ pars essentialis, sed fructus potius & effectus ejusdem debeat vocari. Præterea dolor de peccatis, resipiscentia, & propositum vivendi juxta voluntatem DEI, non debent confundi; sed potius accurate distingui. Etsi enim hæc arctissimo quodam nexu copulantur, ut adeo nec temporum intervallis distingui, nec sensibus humanis percipi satis possint; tamen, cum ipsa Scriptura Sacra ea satis accurate distinguat, ut determinari queat, quænam natura priora, quænam posteriora sint, in doctrina utique omnia distincte proponenda veniunt, licet in praxi non æque distincte omnia queant internosci. Sic igitur nec pium propositum, ut conditio disponens, justificationem antecedit, utpote quam Scriptura unice ex fide deducit. Dicat quis, *recipi Christum non posse ad justificationem, nisi simul recipiatur ad sanctificationem; neque recipi eundem ut Sacerdotem, peccata expiantem, nisi pariter recipiatur ut Rex, cui sese homo penitens submittat ad obsequium.* Igitur receptio Christi ad justitiam non videtur exerceri posse sine prævîa, aut certe concomitante resipiscentia, ac proposito novæ vitæ. Ad hoc dubium cum B. D. Grapio Theol. recens controvers. absol. p. 27. reponimus sequentia: Si de tali receptione ad justificationem sit sermo, in quam & sanctificatio per opera insuat, negamus & pernegamus hanc concomitantiam, idque eo, quod justificatio plane sine ulla operibus, aut ullo respectu ad ea, fiat. Sin de tali receptione Christi ad justificationem sermo sit, quam & mox sanctificatio sequitur;

tum



tum eam quidem concedimus: exinde vero non sequitur, *propositum novæ vitæ* vel prævium, vel concômîtans, vel dispositorium, nedum meritorium esse justificationis, *cum sit saltem consequens quoddam, fideique, cui unice justificatio tribuitur, effectus.*

§. XXIX. Proin ac rem haudquaquam tetigerunt G. Bullus & Heinr. Morus, quando una cum Latitudinariis in Anglia eos, qui doctrinam de justitia Christi imputata profitentur, per contemptum vocarunt *Solifidianos*. Causantur quippe Latitudinarii apud eundem D. Crap. l. c. p. 35. *non minus justificare fidem, ut recipit Christum qua Dominum, quam ut recipit eundem, qua Salvatorem, sicque non nuda imputata quadam justitia justificari hominem, et imputationem legalem bonorum operum cum imputatione Evangelica esse conjungendam.* Eadem vestigia calcant in Germania Dippeliani, ex judicio DEI in Papismum ac Socinismum prolapsi, & propter abusum justitiæ imputatæ, in profanis hominibus deprehensum, ipsammet justitiam CHRISTI nobis imputatam inficientes, eoque nomine causantes, *Christum a nobis dividi, dum statuamus, justitiam ipsius nobis imputari, sanctitatem vero & justitiam, nobis inherentem, nobis haud imputari: cum tamen unus sit Mediator, qui imputet nobis suam justitiam, qua Salvator, & producat in nobis justitiam inherentem, qua Dominus aut Rex.* Addunt, *mortem Salvatoris pertinere ad nos non tantum ab ira, sed & a peccatis liberandos; necessarium igitur esse, ut fides justificet, quatenus utrumque beneficium, & imputationem justitiæ Christi, & imputationem sanctitatis propriæ, a Christo tanquam Rege gratia in nobis producta, respiciat.* Regerimus enim, Christum ita nequaquam dividi aut solvi, quando asserimus, solam Christi satisfactionem, & justitiam meriti, agendo & patiendo nobis acquisitam, nobis imputari, prædicationem autem Christi & regiam hujus universi Ecclesiæque imprimis gubernationem nobis non imputari. Prædicatio quippe & gubernatio non sunt imputabile quid; justitia vero est imputabile quid injustis. Nihiloscilicet obedientia Christi est imputabilis peccatoribus inobedientibus & ab inobedientia resipiscenibus. Quemadmodum ergo

go CHRISTUS manet nihilominus unus Mediator, etſi, qua diverſa officia mediatoria, diverſas actiones ſ. operationes mediatorias edat, v. g. prædicet Evangelium, patiatuſ & moriatur, ſedeat ad dextram DEI; ut adeo qua officium Sacerdotale moriatur. qua Propheticum non moriatur; qua Regium ſedeat ad dextram DEI, qua Propheticum non ſedeat, præciſe loquendo: Ita nec dividitur Chriſtus, ſi ejusdem obedientia, in cruce præſtita, dicitur nobis imputari, prædicatio autem & ſeſſio ad dextram DEI nobis ex uſu loquendi haudquaquam dicuntur imputari. Nihilofecius imputatur quidem nobis juſtitia Chriſti, tanquam aliena, quam agendo & patiendo nobis meruit; non autem imputatur juſtitia nobismetipſis inhærens ſ. ſanctimonia propria, utut hanc Chriſtus, tanquam Rex gratiæ & Caput myſticum per Spiritum Sanctum ſuum in membris myſticis etiam operetur atque producat.

§. XXX. Confunditur itaque a Dippelianis cauſa cum effectu, juſtificatione cum renovatione. Etenim ſi liberatio a peccato eſt liberatio non a reatu, ſed a dominio ejus, adeoque idem, quod renovatio; tum vero beneficium hoc non eſt juſtificatione: atque adeo nec fides, quatenus illud renovationis beneficium reſpicit, eſt juſtificans, ſed juſtificatione poſterior. Oppoſuerat neſcio quis apud Dannhaverum Hodos. p. m. 663: *Sic autem non deberemus pie vivere, nec veterem crucifigere Adamum, neque abnegare nos ipſos, ut juſtificaremur.* Reſpondet nimirum Theologus graviffimus, concedendo. Siquidem pie vivimus, veterem Adamum crucifigimus, & nosmet abnegamus, non ut juſtificemur, ſed ut juſtificatis nos dignos præſtemus, juſtitanque donatam non excutiamus. Licet enim nobis non imputentur ſpes, charitas, aut opera charitatis; neque enim hæc ſunt imputabile quid in foro DEI rigido, ubi, ſi omnia fecerimus, ſervi inutilis ſumus, & juſtificationes noſtræ ſunt pannus menſtruatus: debemus tamen eſſe populus, bonorum operum æmulus. Nec enim imputatur nobis juſtitia Chriſti in licentiam peccandi (quod Apoſtolus in capite ſexto epiſtolæ ad Rom. evidenter adſtruit) verum in libertatem a peccato imputatur, ut ſpiritualiter cum Chriſto reſurgentes in novitate vitæ ambulemus. Ita ergo, licet  
Abra-

Abrahamus per imputatam sibi Messiae justitiam fuerit justificatus; haud tamen fuit impius, neque hypocrita, sed vitam omnino egit sanctissimam Gen. XV, 6. Rom. IV, 3, 5. Velut autem ipsimet Evangelio acceptum ferendum non est, si ad abusum pertinetur: Ita nec Evangelicae huic doctrinae de imputatione meriti Christi imputandum, si a profanis hominibus ad impietatem & securitatem vitae nefarie applicetur.

§. XXXI. Dum Mart. Chemnitius & alii Patres Bergenses in Form. Conc. strictè sic dicta art. 3. repudiant, ceu falsum dogma, quando asseritur, absque praesentia bonorum operum hominem justificari non posse; separant hi praesentiam bonorum operum a fide, in *justificationis actu*, non *statu*; adeoque nec vere contradicunt aliis, qui praesentiam bonorum operum ad eam justificantem requirunt. Illi ad fundamentum justificationis & salvationis; hi ad ordinem, oeconomiam & scolasticam sanctificationis respiciunt universè. Illi cum Lutero Com. in Epist. ad Gal. fol. m. 158. a. fidem accipiunt extra opus; hi cum opere: Illi arborem sine fructu; hi cum fructu. Illi de fide abstracta (prout Scriptura absolute loquitur de justificatione; id quod cernere est in Epistola ad Romanos c. 3. & ad Galatas cap. 2.) hi autem de fide concreta, composita s. incarnata, veniunt intelligendi. Hujus fidei incarnatae exempla aliquot recenset l. c. Theander, ut: Fides per dilectionem est efficax; Hoc fac, & vives; Si vis ad vitam ingredi, serva mandata DEI; Qui fecerit haec, vivet in eis; Declina a malo, & fac bonum &c. In istis & similibus locis, qualia sunt pene innumera in S. literis, ubi fit mentio de faciendo, Scriptura semper loquitur de FIDELI FACERE.

§. XXXII. Eodem omnino tendunt, quae ibidem commentatus est Megalander ad verba capitis Ildi: Vivo jam non ego, sed vivit in me CHRISTUS: Paulus, inquiens, conatur nos profusus abstrahere ab inspectione nostri, legis, & operum, & in ipsum Christum & fidem Christi transplantare, ut nihil plane spectemus in ratione justificandi, quam gratiam, & TAM LONGISSIME SE-

D  
PARE-

PAREMUS A LEGE ET OPERIBUS, QUÆ PROCUŁ HIC ABESSE DEBENT, fol. m. CI. b. Hæc equidem Lutheri effata cum iis volo combinari, quæ antehac in qualibuscunque monumentis meis pro asserenda integritate articuli de justificatione, & pro tuenda causâ communi orthodoxiæ subinde volui allegata; quæque B. D. Neumannus in Disp. de justific. Dn. D. Förtſchius in Disp. de Prudentia iustorum, B. D. Schelgviſius in Synopsi, & Dn. D. Blumberg in Anti-Sincero, aliique passim candidis calculis approbaverunt. Si qui eadem parum intellexerant, hos, dum convitium Solifidianismi cum Heinrico Moro sanioribus impeerunt, leves in simpulo fluctus motitare, mirum non erat. Statum enim controversiæ, quam cierent, ipsimet ignorabant. Caterum tenebriones ac zoilos, scripta passim mea sugillantes, & nesciri, quam honesto, candido & aperto Marte depugnare malentes, ne verbulo quidem responſorio dignos iudico. Quin expendere istos jubeo notum istud divini Majestatis effatum Deut. XXVII, 24.

§. XXXIII. Consentit nobis B. D. Spenerus *Abfert. D. S. p. 294.* his usus verbis: **Daß in der ersten Vollziehung der Rechtfertigung nicht nur die Werke nicht mit einfließen / sondern auch nicht gegenwärtig / ist war.** Quocirca si qui fidem jamdum ante justificationem, pro actu sumptam, esse vivam pronunciant, id velim, expendant, quod fides ante justificationem ne quidem habeat virtutem efficiendi bona opera; sed hanc demum in justificatione & peccatorum remissione accipiat. Quando igitur hæc ipsa fides per charitatem est efficax; tum jam antea Christum apprehenderit, adeoque organice hominem justificaverit, eumque ipsam justificationis effectum sine præsentia bonorum operum virtute objecti sui apprehensi produxerit, necesse est. De justificatione *quoad actum & in se spectata*, hæc intelligi volo; tametsi de ejusdem *statu & continuitate* loquendo (quæ distinctio habetur apud B. D. Bajerum Disp. de nexu justif. & renov. §. 34 & 45.) inseparabilitas fidei & bonorum operum sit rata, & a sineeris Doctoribus concessa. Lutherus Præfat. in Epist. ad Roman. **Unmöglich ist /**

ist / Werke vom Glauben scheiden / ja so unmöglich / als Brennen und Leuchten vom Feuer mag geschieden werden. Et Huterus LL. Comm. p. 486 : Fides sine operibus non est fides viva, sed mortua, non minus, quam auris avulsâ a corpore est mortua auris, & oculus avulsus est mortuus oculus.

§. XXXIV. Consona Luthero & Chemnitio scribit Höpfnerus Disp. X. de justif. p. m. 918. *Propositum*, inquit, bonorum operum. VERE SEPARARI potest a fide justificante, qua justificat; quia propositum illud non ingreditur actum justificationis, neque etiam est causa salutis; sed effectus fidei. Consona etiam tradit Carpvovius Hagog. ad LL. Symb. p. 519, ajens: *Negamus, fidem, quatenus non solitaria est, seu, quatenus opera conjuncta habet, tranquillare conscientiam; idque cum Apostolo, qui dicit, ideo non ex operibus, sed ex fide esse salutem, ut firma sit promissio.* Quandoquidem alia est questio, si queras, quomodo aliquis justificetur coram DEO; alia, si queras, quid agat justificatus; sicuti aliud est, arborem fieri, & aliud, fructus ferre; ceu denuo loquitur Lutherus apud Seekendorf. Histor. Lutheranism. Tom. altero pag. 357.

§. XXXV. Consona insuper scribit Hülsemannus in Form. Concord. art. 12. S. V. §. 1. ubi ita differit: *Si fingatur, vel etiam defendatur, ultimam illam sanctificationem fieri in agone hominis fidelis, ad quam & ipse concurrat active, quemadmodum in vita concurrat; exceptio haec non solum est res facti, & demonstranda; sed etiam contra experientiam & sensum communem. Namque etiam in sanctissimis viris agonizantibus deprehendere est novas infirmitates diffidentia, impatientia, timoris &c. quae tametsi fuerint indeliberata & involuntaria; sunt tamen & manent infirmitates, sunt & manent avouici s. incongruentia cum perfecta norma legis divinae, & consequenter sunt aqua-uaq. i. Joh. III, 4. ad quarum infirmitatum abolitionem alia novaque sanctificatione DEI opus erit, si nihil impuri intromittendum est in caelestem civitatem.* Sanctificatio illa nova cum non

deprehendi possit in agonizantibus, mente & sensu jam privatis; infirmitates vero presentes, & durantes ad extremum usque habitum manifestissime deprehendantur; pro voluntario & temerario asserto merito habetur illa ultima sanctificatio DEI, ad quam recipiendam agonizans jam incapax factus est. Quicquid etiam sit de duratione actualis sanctimonie in morientibus; hoc tamen patet ex concessione dissidentium, quemadmodum exercitium bonorum operum externorum, ipsis fatentibus, non est necessarium in infantibus, & mox a conversione decedentibus, ut possint introritari in caelestem civitatem: Ita exercitium illud bonorum operum in agonizantibus, mente & sensu jam privatis, non solum non deprehendi, sed infirmitates etiam deprehendi; & quia, his non obstantibus, nihilominus tamen introritantur tales infirmi in vitam aeternam, ideo DURATIONEM EXERCITII BONORUM OPERUM USQUE AD EXHALATIONEM SPIRITUS NON SOLUM NON NECESSARIAM ESSE AD VITAM AETERNAM; SED ULTIMAM QUOQUE DEPURATIONEM FOMITIS SIVE LABIS ORIGINALIS FIERI PER PURAM REMISSIONEM SIVE NON-IMPURATIONEM, NON VERO PER SANCTIFICATIONEM INFUSAM.

§. XXXVI. Idem sentit B. D. BAJERUS in Disput. jam laudata, ubi §. 39. percontatur, num justificatio s. remissio peccatorum statim obtingat hominibus, cum credunt, aut fideles facti sunt, antequam in luce ambulent; quod (in luce ambulare) sit consequens justificationis, ita, ut a peccatis per sanguinem CHRISTI vere mundaentur, QVI VEL IN FINE VITAE CREDIT, LICET SPATIVM VIVENDI PORRO ET IN LVCE AMBVLANDI NON HABEAT; & homo penitens, dolens ob peccata, & consolationibus Evangelicis ad fidem ductus, de remissione per sanguinem Christi certus reddi possit, antequam in luce ambulet, aut in renovationis negotio ac statu progressus aliquos fecerit? & §. 40. respondet: AFFIRMATIVAM QUESTIONIS PARTEM QVOD DOCTRINAM IPSAM ORTHODOXAM ESSE,

**SE, FACILE CONSTAT.** Sicuti vero non duæ arbores, verum una duntaxat intelligitur, quæ jam ut cum fructibus; jam ut sine fructibus cernitur: Ita non duæ fides, sed una est, quæ jam ut justificans salvificansve; jam ut sanctificans f. renovans, jam ut luctans, jam ut vincens, jam ut currens, jam ut brabeum vitæ æternæ apprehendens, conspicitur. Præterea minus juvat inter vitam fidei, & vitam hominis credentis, distinctiunculam captare. Etenim per quidnam, obsecro, homo credens spiritualiter vivit, si non per vitam fidei vivit? Nihilofecius dicere, quod fides, antequam **CHRISTVM** apprehendat, sit viva, est dicere, quod fides, antequam **CHRISTVM** apprehendat, sit fides sine fide; id quod absolum. Neque porro sequitur: Si fides, priusquam **CHRISTVM** apprehendat, non est viva; ergo est mortua: perinde, ac incassum concluditur: Calamus, quo utor, scriptorius non est vivus. E. est mortuus.

**S. XXXVII.** Tandem veluti Paulus tractat hoc *ζήτημα* palmarium, quomodo vera fides sine bonis operibus justificet? Ita Jacobus in hoc causâ momento præcipuum defigit obtutum, quomodo fides hominem justificatum per bona opera declaret? Siquidem *ἡ πίστις χωρὶς ἔργων*, de qua Jacobus cap. II. Epistolæ versu vigesimo sexto agit; est *ἡ πίστις λεγομένη* vers. 14. hoc est, verbalis tantum & ostentatoria hominis *κενὸν* vers. 20. seu mavis, verbalis tantum testificatio fidei, reali ejusdem testificationi opposita. Quale ergo subjectum, tale prædicatum. Talis utique fides *νεκρά* f. mortua est. A verbali autem fide hominum vanorum, bona opera jactitantium, ad fidem, quæ homines poenitentes aut morientes sine operibus justificat, N. V. C. ac temerè ita necitur argumentatio: Fides *ἡ λεγομένη* f. verbalis, nuda fidei professio & jactatio, quæ in nudis verbis sine re & opere consistit, est mortua. E. Fides illa, quæ Abrahamum *ὅσα ἔργα ζήσουσιν* sine operibus justificavit, etiam fuit mortua. Ergo fides illa, quæ etiamnum hominem poenitentem aut morientem, non operantem aut sine operibus; justificat, est mortua. Quid multa? Latent  
D 3 qua-

quatuor termini hoc in argumento, prout jam ostensum. Scriptura certe non tantum est liber exponibilis, verum etiam exponens, & semetipsam interpretatur per semetipsam. Si videlicet versum hujus capituli Jacobæi 14. tum, & versum 20. tum cum hoc ultimo, nempe 26. to contuleris, tum vero liquido apparebit, Jacobum minime loqui de fide Abrahamum sine operibus justificante & salyante, verum de fide sine operibus λεγομένη, hoc est, de fide tali, quæ nihil, nisi vana & inanis fidei λέξις, ostentatio & jactantia est. Hutterus l. cit. pag. 455. Nec enim versibus 14. to & 16. to frustra dicitur cum articulo ἡπίστis, id est, hæc ipsa fides λεγομένη, quæ in nudis verbis consistit, & non operibus ostenditur, quæque mortua est per semetipsam, cum tamen per bona opera deberet δεινύεσθαι s. declarari.

S. XXXVIII. Obstat, in versu Jacobæo antecedente vigesimo primo & sequi, dicitur, Abrahamum ex operibus justificatum fuisse, cum Isaacum mactare vellet; fidemque adeo ejusdem operibus cooperatam, imo ex iisdem consummatam fuisse. Concluditur exinde in versu vigesimo quarto, hominem ex operibus, & non ex fide justificari. Regero, ne sic quidem Scripturam dissolvi, aut sibimet contravenire. Jacobus quidem certe Jacobum explicat versu antecedente decimo octavo, ubi postulat fidem δειγμένην, h. e. ostensam s. declaratam ex operibus. Considerat ergo fidem Abrahamicam non aliter, quam δεικνύω, prout ea per opus oblationis Isaac ostendebatur, atque ita declarabatur, ut DEVS Patriarchæ hoc testimonium ferret: Nunc scio, quod tu DEVM timeas, idque opere ipso comprobatur expior: Neque enim tu proprio filio pepercisti. Proin a fidei & justificationis Abrahamicæ δειξις s. ostensione ac declaratione, ad ipsammet fidem & justificationem Abrahamicam, ut sic, N. V. C. Etsi ergo dicit Jacobus, hominem justificari ex operibus; tamen non simpliciter hoc dicit, verum duntaxat secundum quid, nempe qua fidei & justificationis δειξις, ostensionem, declarationem & innotescentiam. Secundum hanc fidem Abrahamicam cooperabatur ejusdem operibus,



bus, imo ex operibus consummabatur, h. e. forinsecus declarabatur ceu consummata & perfecta: cum alias fidem, quando & quatenus justificat, cooperari operibus, recte neget Höpffnerus, Disp. XII. de justif. p. 11. 33. Conf. p. 1082. 1132. & seqq. Obstat, versiculum ejusdem capituli vigesimum tertium allegare dictum ex Gen. XV, 6. quod fidem & justificationem Abrahami in se, non autem declarative spectatam, nobis describat. Regero, per hanc allegationem ab Apostolo indicari causam *dei* *gratias*, supra versu 18. postulata, nempe fidem & justificationem in se spectatam. Antecesserat nimirum in Abrahamo vera & salvifica fides; antecesserat justificatio; hanc sequebatur ejusdem *dei* *gratias*, s. fidei declaratio, per opus obedientiae facta. Antecesserat justificatio, in se spectata, cujus ratione DEVS cum ipso non intraverat in iudicium, verum ipsi peccata remisit; sequebatur justificatio *dei* *gratias* s. ratione declarationis atque innotescientiae considerata, cujus ratione Deus Abrahami pietatem & obedientiam deprædicaverat.

§. XXXIX. Obstat etiamnum, sic geminam fore fidem, geminamve justificationem Abrahami. Regero. Non gemina fides, sed una: nec gemina justificatio, sed una est, in se spectata. Proin haud realis, verum ratione connotatorum saltem facta hic observatur unius & ejusdem numero fidei, unius & ejusdem numero justificationis, distinctio. Connotatorum autem diversitas in hoc consistit, quod Paulina hypothesis sit, describere fidem, prout sine operibus justificat; Jacobæ autem hypothesis sit, describere fidem, prout justificatos per bona opera *dei* *gratias* s. declarat. Juxta Paulum DEVS Abrahamum ita justificavit, ut cum ipso non intraret in iudicium; Juxta Jacobum autem Deus Abrahamum ita justificavit, ut eundem declararet justum, hoc imprimis verbo: Nunc scio, quod Deum timeas, cum proprio illo non peperceris. Exigit nempe Spiritus S. a nobis per Jacobum cap. I, 22. ut non tantum auditores verbi, sed & factores simus; neque solummodo dicamus, Domine, Domine; sed & faciamus Patris cœlestis voluntatem.

Qua

Qua quidem respectus diversitate observata, non difficile est, Paulinam atque Jacobæam agnoscere harmoniam.

§. XL. Liceat nunc attæxere moderatam, politam ac limatam epierisin Ven. Dn. Autorum Relat. innox. 1712. p. 1038. & sequi.  
Wenn redliche Theologi dem Glauben im Werk der Rechtfertigung keine andere / als passivam, receptivam, relativam indolem zuschreiben wollen / so sehen sie eigentlich auf den Grund des Heils / und wollen denselben rein behalten / weil der Glaube / der sonst auch zur Ordnung des Heils gehöret / auch in den Grund desselben eingetret; wobey aber in signo nostræ rationis die höchste Behutsamkeit zu brauchen ist. Sie wollen demnach dem Glauben in so weit keine activität oder Leben / als welches er in CHRISTO hat / und welches allein in foro justitiæ für GOTT gilt / zuschreiben. Admetiemur ea; quæ paulo post insequuntur: Hingegen darff kein recht Evangelischer Orthodoxer Lehrer laugnen / daß der Glaube insgemein betrachtet / und wenn man von der Ordnung des Heils handelt / deren vornehmstes Stück er ist / practisch und thätig sey / ringe / zu sich reisse / sich anklammere und sehr geschäftig bezeuge mit Befangen / Suchen / Bitten / Selbstverläugnen ꝛc. Jener / nemlich der Grund des Heils / muß eigentlich und abstracte betrachtet werden / wenn von dem actu justificationis, oder / worauf man für Gottes Richterstuhl bestehen wolle und solle / die Rede ist; Diese / nemlich die Ordnung / muß insonderheit beachtet werden / wenn man sich prüfet / ob man den wahren Glauben habe / und in der Gnade Gottes stehe. Denn in (dieser Prüfung und) praxi gehören Grund und Ordnung zusammen / und jener ist und bleibt nirgends / wo man die Ordnung muthwillig von sich stößt / oder lieberlich versäumet.

§. XLI. Si justificatio describitur per remissionem peccatorum, quam pœnitens peccator apprehenso sanguinolento Christi merito obtinet (describitur autem) tum vero non est duplex, altera in hac vita, altera in extremo judicio futura solenniter. Nimirum hæc non ipsa  
justi-

justificatio, stricte dicta; verum justificationis potius solennis declaratio ac manifestatio est. Perstant itaq; superiora, quæ circa fundamentalem hunc articulum enucleavimus, quæq; adeo, cum a pluribus parum attendantur, satis iterari nequeunt ac tertiarî. Rumino itaque & inculco ea, quæ dixi: Fides justificans, quatenus justificat, non habet connexa bona opera; habet tamen eadem, quatenus sanctificat & renovat, inseparabiliter connexa. Non habet eadem connexa, si spectetur ratione fundamenti salutis; habet tamen connexa, si spectetur ratione consequentiæ necessaria, divinitus ordinatæ & mandatæ. Non habet connexa, si *objective*, respectu meriti sanguinolenti Filii Dei, quod operibus nostris in negotio justificationis simpliciter est incompatible, & si *effective*, qua effectum justificationis aut salvationis, spectetur; habet tamen connexa, si *subjective* in negotio sanctificationis ac renovationis pensitetur. Non habet connexa in justificationis actu; habet connexa in justificationis statu. In hoc datur bonorum operum presentia; in illo non item. Non habet connexa, si spectetur *abstractive*, ut denuo cum Luthero loquar, scilicet ut arbor sine fructibus; habet autem connexa, si spectetur *concretive*, ut arbor cum fructibus.

§. XLII. Repeto ulteriora: Fides duplici respectu viva est, semel in ordine ad justificationem & salvationem, prout est justificata & salvifica, ubi apprehensio fiducialis meriti CHRISTI est actus vivus, id est, efficax & aptus (relate nempe, per & propter meritum CHRISTI) ad producendam remissionem peccatorum, Deumque, ut peccata remittat, movendum: deinde vero in ordine ad charitatem & bona opera, quorum principium & radix est, ut ita, D. Seb. Schmidio docente, ad renovationem veniat referenda. Quin ne illi quidem nobis vere adversantur, qui docent, diversa explanatione apprehensionem CHRISTI fiducialem, eamq; primam, omnino vivam dici oportere. Nimirum id videntur innuere, quod hæc casualiter & organice ad justificationem concurrat. Atque ita fidei activitatem (alii entelechiam, alii *ενεργεϊαν* nominant, ac definitionem actus impuri huic applicant) in apprehensione Christi consistere, ex

Joh. I, 12. Gal. III, 27. afferit B. Calovius. Conf. B. Seb. Schmid. Comm. in Jer. IX, 23. pag. 382. Quam praxin fidei Evangelicam appellat Dn. D. Blumberg p. l. c. 417. & seqq. Nec aliud sibi vult Gravissimus noster Fechtius apud Dn. Hahn, in König, illustr. p. 13. *Fides, ajens, πρᾶξιόν ἐστι partim ratione apprehensionis meriti Christi, partim ratione bonorum operum, quæ producit juxta Gal. V.*

§. XLIII. Stat sententia. Fides, quæ apud Jacobum dicitur mortua, cap. II. ep. 5. 26. est fides mere verbalis, est nuda fidei professio, jactatio, ostentatio sine re, opere aut facto ipso, εὐὸν πίστιν λέγει τις ἔχειν, ἔργα δὲ μὴ ἔχει, 5. 14. Similiter justificatio Abrahamica & Rahabica versibus 21. & 25. ejusdem epistolæ commendata, minime omnium, ceu cum B. D. Walthero alibi docuimus, est justificatio propriæ sic dicta, nempe absolutoria; sed duntaxat justificationis propriæ significatio & testificatio, voce per Meton. signi inflexa; quandoquidem Scripturæ in more positum est, uno termino in eodem versu, cur ergo non eodem contextu? sub dispari notione uti.

§. XLIV. Fides, quæ est receptio CHRISTI passiva, eademque cognoscitiva, approbativa, & fiducialiter appropriativa (quam alii adhesionem, alii recumbentiam, alii judicalem unionem cum CHRISTO vocitant) est omnino per virtutem atque operationem Spiritus Sancti valida & efficax. Uti quippe in visione & auditione naturali excitatur ipsa vis & facultas videndi & audiendi passiva: Ita vis & facultas recipiendi Christum a Spiritu Sancto, per Evangelium operante, & meritum CHRISTI offerente atque exhibente, excitatur. Nimirum hic operatur omnia in omnibus 1. Cor. XII, 6. Eadem ipsa receptio s. apprehensio meriti Christi in præparato ante per Spiritum S. corde momentanea est, qua homo ex morte in vitam gratiæ veluti ἐν πίστῃ ὀμνᾷ ☉ transfertur.

§. XLV. Sicut enim speculum objectum suum recipit passive, non agendo aliquid, sed ad sese objectum præsentaneum recipiendo: Ita etiam fides sine ulla operatione Christum ejusque meritum,

ab Evangelio præsentatum, apprehendit, istudque iudicio divino representat, & facit, ut homo peccator in isto vicario bono, quod in iustitiam & salutem ipsi paratum & ordinatum est, in iudicio DEI appareat. D. Carpzov. Disp. Chemnit. p. 1455. Cæterum sensibilem fidei virtutem, salva ejusdem veritate, quandoque experimur, quandoque non experimur, uti patet hoc postremum in infantibus, dormientibus, lipothymiam patientibus, graviter tentatis &c. Uti quippe forinsecus in terra non semper apparet occulta vis frugifera aut metallifera, quæ tamen ipsi realiter inest: Ita nec in anima fidei motus fidei semper perfenscuntur.

§. XLVI. Quæmadmodum Deus, dum lumine solari oculos illuminat, virtutem illuminandi non in oculis, verum in sole reposuit: Ita virtutem salvandi non voluit esse in fide, animæ oculo, verum in ipsomet objecto fidei apprehenso, videlicet Sole iustitiæ JESU CHRISTO. Quæ est similitudo mirum quam apposita D. Mülleri Rostochiensis. Perperam igitur a nonnullis vires fidei cum fide actualiter justificante confunduntur; & hæc perperam describitur, quasi sit actus, a DEO jam ante apprehensionem CHRISTI productus, qui postmodum in tali apprehensione sese exerat. Etenim fides justificans, qua talis, neutiquam est instrumentum activum, sed passivum, Joh. I. 12. Et in ipso quidem justificationis actu vires activæ fidei prorsus nullæ sunt; nec propriæ sunt, verum alienæ, nempe CHRISTI, tanquam objecti apprehensi; sicque adeo in hoc ipso primo justificationis actu fides est organon passivum, a DEO productum; & quoniam non prius est fides proprie sic dicta, quam CHRISTUM habeat teneatque apprehensum, idcirco nullam ante hanc apprehensionem CHRISTI potest habere activitatem.

§. XLVII. Fides nostra, entitative spectata, ut cum B. D. Scherzero loquar, est quidem actus; sed non, quatenus est actus noster, justificat: verum omnis vis iustifica illius dependet ab objecto ejusdem apprehenso. Cæterum ipsamet apprehensio nostra est tantum conditio, ex parte subjecti requisita. Certe admotio cibi, ut sic, non saturat, sed ipse cibus admotus. Nihil-

secus potas vini reficit quidem vires nostri corporis ; sed illa virtus reficiendi non dependet a potu nostro , utpote qui est tantum conditio quadam praequisita ; verum illa virtus aut vis reficiendi ab ipso vino , quod bibimus , dependet. Quo simili B. D. Güntherus delectari consuevit. Erroneum proinde est statuisse , virtutem fidei justificantis passivam actui potius apprehensionis , quam CHRISTO apprehenso tribuendam venire. Et vero cum CHRISTUS ex Lutheri verbo (Comm. in Epist. ad Galat.) sit forma fidei (vita quippe nostra est CHRISTUS , per quem in justificatione vivificamur) idcirco neq; notitia salutis , neq; assensus a Spiritu Sancto productus , neque fiducia salutis , fides carnalis jure potest appellari. Si quis enim carnalem fiduciam pro vera & salvifica jactitat , ille prima fidei parte , nempe notitia salutari destituitur , ratus , fidem posse cum peccatis mortalibus consistere , & CHRISTUM esse peccatorum ministrum. Nam in fide salvifica nunquam secunda pars est sine prima , nec tertia sine secunda & prima. B. D. Schelgwigius Synops. art. 20. quaest. 2.

§. XLVIII. Atque ita fides , cum apprehendit meritum CHRISTI , constituitur in esse suo per CHRISTUM apprehensum , tanquam formam ( analogice ita vocatam , & non Weigelii , verum Lutheri sensu explicandam ) ut ita vera , non imaginaria , fides sit & dicatur. Sic igitur eadem sit promptissima adhesio sive unio judicialis cum CHRISTO apprehenso , unioni sanctificanti contradistincta , miseris peccatoribus in judicio divino extreme necessaria , nec non recumbentia sive quies ( ut stylo Höpfneriano denovo utar ) super apprehenso , & sibi per apprehensionem voluntatis unito , pro peccatis nostris mortuo , CHRISTO. Sic agit CHRISTUS , cum apprehenditur ab homine credente , in intellectum & voluntatem illius , hasce facultates excitando , novis viribus instruendo , actusque notitiae , assensus & fiducia , qui cum CHRISTO apprehenso fidem ipsam constituunt , eliciendo. Sic DEI opus est , ut credamus Joh. VI , 29. & sine CHRISTO nihil possumus facere Joh. XV , 5. Sic CHRISTUS in nobis operatur

operatur tam velle, quam perficere; idque non modo tunc, cum ipsa fidei vita est praesto; verum etiam tunc, cum ejusdem reviviscentia in statu luctativo identidem pullulat.

§. XLIX. D. Chemnitius LL. part. 3. p. m. 28. hitur verbis: *Monasterienses etiam hanc propositionem rejecerunt, daß der Glaube selig mache ohne gute Werck / & substituerunt aliam, scilicet, daß der Glaube selig mache / aber nicht ohne gute Werck. Sed Urbanus Regius erudite eos refutavit.* Apparet igitur, accuratum atque diligentissimum Urbanum Regium pro formula caute loquendi non agnovisse hanc phrasin, daß der Glaube selig mache / aber nicht ohne gute Werck. Similiter distinctio inter fidem justificantem, quæ per charitatem operosa est, & fidem justificantem, quæ per charitatem operosa est, eo tantum sensu admittitur, ut priori loco charitas, non, ut necessaria conditio, & ut justificationis requisitum, sed ut consequens & effectus intelligatur, scribente B. D. Neumanno Theol. Aphorist. p. m. 580.

§. L. Cavendus itaque Papismus, Socinismus & Arminianismus eorum, qui bona opera ad fidem ita referunt, ut cum Esthio dicant, catholicam esse distinctionem inter fidem informem, & fidem per bona opera formatam: neque secius cum Socino opinentur, opera formæ perfectionem induere fidei, ET VITAM EIDEM TRIBUERE; imo & cum Episcopo fidei præscriptum non aliter considerari perhibeant, quam quatenus proprietate sua naturali obedientiam includit. Cavendus denique Neotericismus arbitrantium, quod regeneratio ita antecedit justificationem, ut CHRISTUS cum suo Spiritu prius in nobis habitet, quam justificemur (errore sane ex incunabulis Osiandristicis ac Flacianis ad nostra usque tempora protracto) quodque membra CHRISTI, quod filii DEI, CHRISTO incorporati, simus ante justificationem. Sic nimirum bona opera præcederent potius fidem, quam sequerentur; & imitatio CHRISTI, tanquam exempli, apprehensionem CHRISTI, tanquam doni, anteverteret. Claudimus hasce

Migadas, & hanc quasi Schiggajon, variantisque argumenti diatriben, breviter quidem certe decantatam, pio voto: DEUS PATRUM NOSTRORUM EXTREMIS HISCE TEMPORUM ULCERIBUS ABIGAT SCANDALA DOCTRINÆ AC MORUM; EMENDET OPERA PLURIUM, QUÆ OPTIME SCIT ESSE SPURIA ET EX SINCERA FIDE MINUS PROfecta; EMENDET FIDEM IPSAM; TOLLAT A NOBIS FALSAM, HYPOCRITICAM, IMAGINARIAM, MORTUAM, QUÆ MERA EST INCREDULITAS, EFFICIATQUE AC SERVET NOS ZELOTAS VERE BONORUM OPERUM, EX VERA FIDE MANANTIUM, ET HANC EX ALTO NOBIS INDULGEAT GRATIAM, UT NOBIS EXTREMO VITÆ HALITU, NON OPERANTIBUS, CREDENTIBUS AUTEM IN EUM, QUI IUSTIFICAT IMPIUM, IMPUTETUR FIDES NOSTRA AD IUSTITIAM, UTQUE ADEO IN FIDE SINCERA ET NON FALSATA, NEC FUCATA, PERSEVERANTES VITAM ACCIPIAMUS SEMPITERNAM! AMEN! VENI, DOMINE IESU, AMEN!

---

### COROLLARIA.

#### I.

**S**I qui contendunt, Separatistis certum respicientiæ terminum figi non posse, eo, quod conversio peccatoris opus sit non hominum, sed DEI, qui vero suas habeat horas ac moras, patienter a nobis expectandas; illi viderint, qui hoc assertum cum gratia & sanctitate DEI concilient.

#### II.

Sic nimirum tantæ pertinaciæ culpa in sanctissimum transfertur DEUM, ac si aut erroneos istos effective ex-  
cœca-



coecaret, iisdemque ocluderet oculos, quo minus claram Evangelii lucem perviderent, aut in ipso gratiæ tempore DEI tamen gratia peccatoribus deesset. Conf. *Dn. D. Psaffii Disput. de Gratia DEI continua.*

## III.

Gloriosissimi Majores nostri, dum Aug. Conf. art. V. damnarunt Anabaptistas & alios, qui sentiunt, Spiritum Sanctum contingere sine Verbo externo hominibus per ipsorum præparationes & opera, vanitatem nostrorum temporum tantum non præviderunt, quo plures Religiosi medium Spiritus Sancti ordinarium, nempe Verbum externum, sese antevertere sanctius, quam obedienter & humiliter sequi posse, opinantur.

## IV.

Huc tendit *ἀσφα* notorium, quod Scriptura Sacra nequeat homini esse canon aut amussis veritatis, nisi prius Spiritus Sanctus, tanquam interpret authenticus, in ipso habitat.

## V.

Huc collinat *ἄσφα*, quod Scriptura Sacra nequeat esse principium aut fundamentum fidei solitarium, sed ante illam requiratur immediatus JESU CHRISTI illapsus & influxus in animam, immediatæque apparitiones, visiones & somnia plus afficiant animam, quam Scriptura ipsa.

## VI.

Huc Rathmanniana ista Scripturæ enervatio reducibilis est, cum statuitur, Scripturam esse nihil, nisi signum inefficax, nur ein bloßer Wegweiser von außen zu Christo/daraus man weder Leben / noch Wiedergeburch und Seligkeit / haben könne.

## VII.

## VII.

Si quis ergo neget, sese Scripturam Sacram intelligere  
 posse sine prævia illuminatione Spiritus Sancti, perinde  
 est, ac si, cameram obscuram a sole non prius illuminari  
 posse, arbitretur, quam lux antea jamdum in illa pleno ju-  
 bare exsplenduerit.

**E**sto operosa fides; sed opus nihilominus ipsum  
 Sinceræ fidei furculus esto tuæ.

Monstra, demonstra, comonstra: Nempe salutis  
 Est fundamentum nobile sola fides;

Ordo tamen dius, pius ordo & biblicus ordo  
 Sinceræ fidei nobile dictat opus.

Perspicuis hæc Tu schediis disquiris, Amice.

Ipso opere id monstra; crede, beatus eris.

*Clarissimo Domino Respondenti suo hæc  
 gratulabundus acclamabat*

PRÆSES.







01 A 6567

Sb.

R. 1017 Hl. 67.





7.19 27

QUINQVAGINTA  
**MIGADES**  
THEOLOGICAE,

CVM PRIMIS  
ANTI-NEOTERICAE,  
ALTDORFI D. XXIX APRIL. MDCCXVI  
DISQUISITIONE PVBLICA  
IN AVDITORIO THEOLOGORVM VENTILABVNTVR,  
PRAESIDE  
**CHRISTOPHORO SONN-  
TAGIO,**  
SS. THEOL. D. ET P. P. PRIMARIO,  
ANTISTITE OPPIDANO ET H. T.  
ORDINIS SVI DECANO,

ET  
RESPONDENTE

**M. IOHANNE CHRISTIANO MEISNERO,**  
SCHLIBENSI SAXONE.

---

LITERIS IOD. GVIL. KOHLESII, ACAD. TYPOGRAPHI.